



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

446

F

228



Kw 4/46 220

DISSERTATIO IURIDICA
 INAUGURALIS
 DE
 AEQUITATE,
 QUAM,
 ANNUENTE SUMMO NUMINE,
 SUB AUSPICIIS
 SERENISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS,
 GUILLIELMI V,
 PRINCIPIS ARAUSIAE ET NASSAVIAE,
 FOEDERATI BELGII GUBERNATORIS HEREDITARII,
 ACADEMIAE GRONINGO-OMLANDICAE
 RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI ET CURATORIS PRIMARI,
 CET. CET. CET. CET.

EX AUCTORITATE
 RECTORIS MAGNIFICI,
 PETRI DRIESSEN,
 Med. Doct. Medic. Theor. et Pract. nec non Chemiae Profesi. Ord.

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
et Nobilissimae FACULTATIS IURIDICAE *Decreto,*
 PRO GRADU DOCTORATUS,
 Summisque in UTROQUE IURE Honoribus et Privilegiis,
 rite et legitime consequendis,

*Coninklijke
 Bibliotheek
 te 's Grage.*

IN CHORO TEMPLI ACADEMICI
publicae disputationi offert
 GERHARD JACOB KEISER,
 GRONINGANUS,
 Die XXI Maii MDCCXCIV. Hora decima.

GRONINGAE,
 Apud FREDERICUM VOS, Typographum.



VIRO AMPLISSIMO
IACOBO WARMOLD KEISER,

IUR. UTR. DOCTORI,

S U P R E M A E

REGIONIS GRONINGO-OMLANDICAE

C U R I A E

S E N A T O R I :

P A T R I O P T I M O .

Accipe quae Pietas sacris Tibi devovet aris,
Porrigit Officii quae Tibi laeta manus.
Principe Te, LATII Themidos intravimus aulam,
Demissi niteant grata tropaea Tibi!
Fausta, diuque neent vitae Tibi stamina Parcae,
Et mihi tunc faveas, ut Tibi cuncta favent!

GERHARD JACOB KEISER.

AUCTOR.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is extremely faint and illegible due to the high contrast of the scan.



DISSERTATIO IURIDICA

INAUGURALIS

DE

A E Q U I T A T E .



P R A E F A T I O .

Ut ea qua velim mente hoc opusculum accipias, benevole Lector, priusquam ad ipsam dissertationem accedas, explicare tibi liceat, quaenam auctoris in ea componenda sententia fuerit.

Etiamsi iuvenum vires superare videatur, ut audientes adhuc docentem praeceptoris vocem, iam ipsi in arte sua doctores progrediantur, laudo nihilominus in hac aliisque Acade-

A

miis

2 DISSERTATIO IURIDICA

miis receptam edendi speciminis consuetudinem; cum eam videamus eruditorum benevolentiam et verum literarum amorem, ut dum sublimi magis et cultoris ingenii fructus laudibus et admiratione sua extollant, illi tamen, qui nec tali nec tanto naturae beneficio, aut eruditionis auxilio, gaudent, non omni plane attentione indigni censeantur, immo vero suos etiam inveniant fautores, sua, quae ad maiora stimulent, praemia. Hac luce gratum mihi dñm splendere sentio, quo juvenilis mei ingenii iudicia et sententias liberius vobiscum communicare audeam. Hinc pro tenuissimis, ut aiunt, viribus benevolentiae vestrae gratiam, precibus, non exiguam saepe de se spem prodentibus, invocare, mihi tanquam inutile, vobis inhonestum, relinquo, et sintne aliquantulum, sintne futilia nimis, ea quae prolaturus sum, acutiori eruditionis vestrae iudicio, amputatis caeteris ambagibus, explorandum trado; cum nec ea quae a viro petuntur, a iuvene expectari certus sum, et eam a mente mea longe, alienam esse superbiam noverim, ut omni errore vacuum me somnians, si levis aut erronea ab erudito sententia mea evincatur, invidiae illud adscribam, aut dedecori mihi ducam.

De specie dissertationis huius quaerenti respondeo, mixtam
hanc

INAUGURALIS.

hanc eo modo esse, ut nec solum ius Romanum tractaverim, nec illud plane hinc exulet; cum iis enim minime faciendum esse sentio, qui iuris Romani studium non tantum quasi superfluum ab Academiis nostris plane removerent, verum etiam longe acrioribus contumeliis illud prosequuntur.

Futuro enim Icto utilissimum, immo prae omnibus necessarium est, ut sibi comparet facultatem diiudicandi, quomodo iuris Naturae praescripta Reipublicae applicari, nunc extendi, nunc restringi, debeant: huius rei in iure apud Romanos introducto exempla obviam veniunt nec pauca, nec ad felicitatem publicam parum conferentia: atque hinc fit, ut ex iuris Romani peritia, iuris Naturae, moribus temporum magis magisque accommodati et experientia in hominum felicitatem maiori quasi lumine splendentis, scientia nobis emergat, quae non tantum nudis Philosophorum contemplationibus continetur, aut adstricta manet, verum re vera utilis esse et usui venire potest: huic utilitati si adiungas amoenitatem, quae ex Romanorum, Illustrissimi simul et cultissimi ex antiquis populi, historiae et scriptorum notitia profluit, merito legum cupidae iuventutis ius Romanum ad lectiones Academicas electum videtur.

Licet autem ita sentiam, non tamen, lubenter fateor, illam

DISSERTATIO IURIDICA

Romanorum iuri operam dedi, ut ubi trecenties fere de omnibus actum fuerit, novi quid in medium me prolaturum sperare audeam, aut fieri posse credam, nec ille est mihi animus, ut, veterum recentiorumque scriptorum et praeceptorum praelectionum compilator, dissertationem edere lubeat, in qua, si partium compositionem excipias, nihil meum esset.

Talem exinde mihi materiam sumsi, in qua volvenda ostendi posse videbatur, an in iuris Romani studio ita versatus sim, ut erudiendis et acuendis de iure universali notionibus aliquantum mihi inservierit, atque adeo unde illud apparere posset, quod ex mea sententia ratio est, quare ab iis qui Academiae valedicturi sunt specimen desideretur.

Primo forsan obtutu vaga nimis et incerta quibusdam dissertationis huius rubrica videbitur, sed placatos mihi animos fore spero, si hic indicem, quidnam expectandum sit. Ita igitur res meas egi, ut parte priori capita quaedam iuris examinaverim, an, quoad constitutionem, cum aequitate convenient, in parte autem posteriore, quid de aequitate, in iure exercendo, sentiam exposuerim. Ad haec restrictam rubricam non temere quasi huius opusculi spatio nimis amplam, condemnatum iri spero, et felici hoc augurio ad rem ipsam transeo.

IN

I N T R O D U C T I O .

AEquitas notio, pro vario, quo ponitur, sensu varia est, atque ita pro specie obveniente aliter atque aliter definienda; est enim aequitas vel iuris Naturae, vel iuris Civilis, et in hoc posteriore vel legum ferendarum, vel exsequendarum, vel ponitur pro eo quod humanius et mitius est, oppositum nempe ad ius strictum.

Generaliter aequitas fundamentum iuris constituendi et moderamen eius exercendi dici posse videtur.

Quod ad specialia attinet, si in iure Naturae de aequitate quaeramus, est illa qualitas quae huic iuri abesse non potest; immo certo sensu ius ipsum; si ad fontem iuris, Naturae nempe, attendamus, est illud praescriptum Dei, qui voluit ut cuique iura, ad naturam et felicitatem suam accommodata, quantum fieri posset, integra essent, et ne simul alter exercitio iurium nostrorum laederetur, ita ut nullum ius remaneat, simulatque alium laedamus: patet hinc omnia iura nostra ad aequitatis lapidem Lydium esse examinanda, et iura plane non esse, quae vel nobis competant, vel exerceri possint, nisi huic superstructa aequitati pateant. Hinc, quia nihil iustum est nisi simul aequum

fit, et quia eodem modo ac legis in iure Civili, ita etiam aequitas in iure Naturali, est norma dirigendarum actionum nostrarum, aequitas certo sensu dici posse videtur ius Naturae ipsum. Quod ad ius Civile, aequitas est principium ex quo derivari debet quaevis constitutio et unicus fons unde vis iuris obligantis emanare potest; cum ius Naturae, licet pro status socialis felicitate varie sit moderandum, semper tamen principium et esse et manere debeat, unde ius Civile originem suam ducat. Simul tanta esse non potest legum multitudo, ut sine ullo moderamine ad quasvis species obvenientes applicari queant, nec tanta est nobis sapientia, ut quidquid accidere posset, id omne praevidere possimus: sequitur inde aequitatis rationem in iure exercendo etiam non plane posse exfulare.

Omne ius igitur aequum vel iniquum est duplici ratione, constitutione nempe vel exercitatione: quo autem modo in posteriore casu sit adhibenda videbimus inferius, hic probasse sufficit, aequitatem tam in iure constituendo, quam exercendo, usui venire debere; videamus igitur de modo quo priori casu eam ante oculos haberi oporteat et quo posteriore loco ea attendenda sit.

PARS

P A R S I.

In iure constituendo haec attendenda videntur: persona Legislatoris, modus ferendo aptus idoneus et necessarius, denique ius ipsum quod constituitur, et hoc tam respectu extraneorum, quam incolarum.

Ad examinandam igitur legis cuiusdam aequitatem inquirendum primo loco est in Legislatorem.

Unumquodque membrum societatem constituens eodem beneficio gaudet, ut de regimine ineundae societatis, pro sua parte, in utilitatem omnium caveat, et sententiam suam dicat; ea simul gaudet facultate, ut maiori sapientiae et experientiae felicitatis et securitatis suae defensionem, in quae tendere debet regimen, committat: hinc idem est an leges ferat ipse populus, quem natura huic negotio praeposuisse videtur, an vero ille cui universi civis illud detulerunt. Licet priori in casu plura suffragia decidere summa aequitatis ratione defendatur, tamen facultatem a societate recedendi concederem unicuique, cui placita plurimorum displicent.

Ab omni aevo illud ita factum fuisse constat, ut mulieres a iuris constitutione excludantur: verum nullum invenio argumentum.

8 DISSERTATIO IURIDICA

mentum, quod facti huius aequitatem defendat, e contrario ad constituendum regimen, cui omnes subsint, omnes admittendi mihi videntur, qui leges negligendo in poenas legum incidere possunt. Hanc etiam ob rationem certum annorum numerum constituerem, quo iuventus eius ingenii esse crederetur, ut leges violare possit, quo tempore simul inter membra societatis adscriberetur et cum aliis de iure constituendo disponere possit, constituto autem, subesset.

Iure itaque constituto, utilitas Reipublicae exigit ut exercitio et administratio eius vel uni vel pluribus, prouti placeat, committatur, quo tempore omnes alii ab imperio prohibentur quidem, sed tamen semper summam hanc maiestatem retinent, qua imperanti, qui dignitatem suam non ex fide gerendo potestate sua abutitur, imperio interdicere possint; semper enim imperans potius summae maiestati praeesse, quam eam habere, dici posse videtur; imperium enim iustum non est nisi ex consensu omnium geratur: si iam consensus ille sufficit ad deferendum imperium, certe etiam mutati animi manifestatio sufficit ad retrahendum illud, si non geratur illo modo in quem delatum est, qui modus semper in se continet tacitam conditionem, ut salus publica suprema lex sit. Hoc ius, Principem,

pe-

potestate sua abutentem imperio interdicendi, homini in statu sociali necessario remanet, quia nunquam iure ei renunciare potuit, donec felicitatis studium maxima ei instat obligatio. Probo hanc assertionem, maiestatis populo sub omni imperio remanentis, exemplo illustrium eorum quos inter maximos gratia posteritas veneratur; ecce tibi salutis et gloriae Proavorum, salutis et gloriae nostrae, originem, **GUILLIELMUM PRIMUM ARAUSIACUM**, patriam nostram a tyrannide **PHILIPPI** in libertatem vindicantem: ecce tibi decus illud Americae et gloriam nostri temporis, **WASSINGTHON**, eadem partes tuentem: nec tamen tales illi fuerunt, qui, quae fecerunt, fecissent, si non summo iure ita faciendum esse iis visum fuisset: si non, abusum potestatis et degenerationem imperii in tyrannidem, subditos ab omni obligatione liberare, persuasum habuissent.

Hoc autem licet argumentis non ita facile evincendis mihi ita esse videatur, si non iam verborum, certe tamen mentis meae iniquus ille foret interpretes, qui ex modo dictis colligere vellet, me, temerariam admodum huius iuris exercitationem fradendo, Rempublicam hominum, turbarum et rerum novarum ex ambitione cupidorum, arbitrio submittere; permul-

10 DISSERTATIO IURIDICA

ta requirerem, ante quam ad illud extremae necessitatis remedium confugiendum sentirem: manifeste adeo de abusu regiminis constare debet, ut, si non universi populi, certe tamen longe maioris eius partis vota pro imperio mutando eadem sint, et praesens status, non nisi manifesta omnium pernicie, retineri possit. Remedium hoc tanquam tale considero, quo, prae summo quod sibi coniunctum habet periculo, non utitur prudens medicus, nisi ubi spes etiam fere deest.

Secundo loco inquirendum erat de modo legum ferendarum; parum vero de eo dicendum est, quoniam quisque percipit, negotium illud esse maximi momenti et exinde tanquam tale etiam tractandum, serio nempe et deliberato animo, ita ut innotescat populo, curam salutis suae rem maximi ponderis ut est, ita etiam haberi. Ferre quidem rerum ordo potest, ut propter res repente ortas et in quibus incavendum est, propter motas seditiones subitasque turbas, leges conscribi necesse sit, quae temporis tumultuosi notam in constitutione sua ferunt, verum, reduce quiete, corrigit illas bonus legislator, sciens, extraordinarias quidem circumstantias extraordinaria exigere remedia, sed, rebus in ordinem reversis, retinendum non esse effectum malum, simulatque causa mala cessat.

Ter-

Tertio loco ius ipsum in lege constitutum considerandum venit, tam respectu extraneorum, quam incolarum.

In iure constituendo illud solummodo aequum est, quod iura nostra et libertatem nostram naturalem, ut ad statum socialem haec accommodentur, restringit minimum ad modum. Nulla certe cogitari potest societas ubi quisque illimitatam agendi facultatem exerceret, quam natura homini, plane sine ullo commercio viventi, concedit, hinc ex. gr. vindicta privata vetita est, hinc matrimonium institutum.

Obiicientur mihi forte populi, qui in silvis montibusque vagabundi, in statu mere naturali vivere videntur: si autem plerosque consulimus, qui experientia instituti, penitus talium vivendi morem inspexerunt, docemur, non tantam esse eorum barbariem, nec illos ab omni regiminis moderamine adeo esse alienos, quam primo obtutu videretur, verum illos etiam, pro suo cogitandi rationandique more, normam sibi constitutam habere, quae dirigendis actionibus iis inserviat et iusti iniustique discrimen constituat.

Verum caute attendat Legislator ne hanc restrictionem libertatis Naturalis ultra limites extendat, quos salus publica necessario sibi requirit, si posteritatis suffragio instituta sua fir-

mari cupit, et turbis seditionibusque ansam dare nolit; possunt etenim Maiores illi iuris Naturalis libertati valide, etiam pro posteris, renunciare, quae statui sociali est opposita, verum quidquid ulterius faciunt, nullo iure faciunt, quippe quibus tantum non est de iure posteritatis suffragium, arbitriumve: scopus enim omnis societatis debet esse felicitas universi corporis per felicitatem singulorum membrorum obtinenda, felicitas autem singulorum eo maior est, quo magis iura nostra naturalia integra illaesaque habeamus et exercere possimus: unde apparet, libertatem et aequalitatem minimum admodum esse restringendas, quia illud est utilissimum et optimum regimen, quod ad statum Naturalem proxime accedit.

Cum autem non sim, cui vires sufficiant ut totum hunc Oceanum pernatem, placet hic illic seligere quaedam, ut de iis quid sentiam manifestem, transeo itaque ad specialioremem horum principiorum applicationem et non abs re fore visum est, si hic praecipue ad ius quod apud Romanos obtinuit, attenderem.

Cum autem de iis optime indicatur, in quorum principia accuratius inquirimus, sic mihi examen illud tutissime institui videbatur de *Lege Decemvirali*; quippe quae praecipuus fons
est,

est, ex quo universum ius Romanum manavit. Suo enim tempore quo ferebantur, Romani nulla fere lege alia regebantur; non quidem expresse sunt abrogatae leges Regiae, et lex Icilia, legesque sacrae, (quae erant leges tam a Centuriis populi, quam a Consulibus, et a Tribunis, de iure aequae publico, ac privato, latae, et quae ita dicebantur, quia in monte sacro factae et iurisiurandi religione confirmatae erant, quasque memorat LIVIUS *hist. libro 3. cap. 32 in fine*) hae inquam leges observari debebant ab iis, qui novo iuri ferendo praeerant: cum autem Lex XII Tabularum de omnibus fere agit, de quibus ius erat constituendum, factem quoad generalia attinet, verosimile est, leges Regias lege nostra maximam partem esse comprehensas, atque adeo speciale corpus non amplius constituisse. De legibus Regiis, legi nostrae insertis, vide BRUNQUELLI *historiam iuris Romano Germanici parte 1. cap. 1.*, GRAVINAE *origines iuris parte 2. pag. 270 sequent.*, BACHII *hist. iurisprud. Romanae lib. 1. cap. 1. sect. 2.*

Notissima adeo est huius Legis Decemviralis historia, ut eam lectori explicare superfluum ducam, si tamen quis est, qui sibi hanc in animum revocare cupit, et quo summo et optimo iure lata sit, quantaque ingenia, quantaque integritas,

14 DISSERTATIO IURIDICA

iis ferendis praefuerint, adeat LIVIUM *Hist. lib. 3. capitib. 32, 33 et 34*, audiatque simul elegantissimum CICERONEM, *de Oratore lib. 1. cap. 44.* ubi exclamat: *Fremant omnes licet, dicam quod sentio, bibliothecas, me Hercule, omnium Philosophorum unus mihi videtur XII Tabellarum libellus, si quis legum capita ac fontes viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate, superare.*

In his etiam omnia exsequi longum foret, seligo propterea principaliora quaedam capita, de quibus dicere lubet.

Tabula I aequissime tractat vocationem in ius.

In statu quidem naturali, quisque, tanquam dominus actionum suarum, libere de iis disponit respectu aliorum, respectu autem sui ipsius iura sua libere tuetur et ea gaudet facultate, ut, in his conservandis ab aliorum aggressione, sibi ipsi iudex et vindex sit. Gaudemus etiam adhuc in statu sociali illo beneficio, cui in statu naturali defensio iurium nostrorum innititur, illa nempe libertate, quam recta ratio concedit et dicitur, et quae nulla regiminis forma negari aut tolli potest: crescentibus vero cum hominum numero, hominum etiam avaritia, cupiditate, et malitia, pro maioribus quibus indulgebant necessitatibus, libertas illa Naturalis sensim in abusum et licenti-

AM

am degeneravit, ita ut huius libertatis privilegium non amplius in suam aequae ac aliorum salutem et perfectionem, tam internam quam externam, adhiberent, necessitas inde exegit, ut vinculo societatis adstrictis mortalibus, ita constitutis, iusti rectique observatio tuta magis esset omnibus, et felicitati securitatisque publicae, praecipuis illis societatis finibus, magis accommodaretur, ut, iure fortioris sublato, causa, non vires, vincerent, atque ita ut perderent quidem illimitatam hanc agendi facultatem, quam olim exercebant, quoniam actiones suas secundum praescripta legum certarum dirigere obligabantur, simul autem ex eo quod perderent multo maius acquirerent commodum.

Si morum in caeteris duritiem, si temporum barbariem, consideres, miranda certe est legis nostrae lenitas, iustitia, et aequitas: in ius vocandum iubet Tabula nostra, si non venit vocatus, testato vocationem probandam esse praecipit, antequam manu rapiatur, dum etiam hoc casu aegrotanti et seni humanissime succurrit: ne tamen paterfamilias, nisi ultima urgente necessitate, a sui suorumque cura avocetur, defensorem, conditioni reorum aequalem, admittit, quo dato obfide, veniendi eundemque facultatem liberam sibi retinet reus, et

et ne lites inutiliter augeantur, pactum inter vocatos admittit, usque ad ipsum iudicii tempus.

In Tabula II occurrit constitutio de fure vel nocturno, vel diurno telo se defendente, impune occidendo:

Est quidem gravissimum crimen, usu et possessione rerum suarum aliquem privare, quoniam omni principio iuris, quod cuique suum sacrum facit, adversatur: dicendum tamen videtur, Romanos, si non nimis severe, tamen certe non fatiscante et prudenter in illud animadvertisse; licitum enim quidem est, se suaque omnia adversus aliorum aggressionem defendere, etiam usque ad mortem agredientis, simul tamen humanitas iubet, ut non nisi necessitate coacti ad ultima quae licent perveniamus. Hinc nimis facile internecatio furis permessa videtur, quippe quae sine fraude fieri dicitur, si nocte vel vi furtum committitur. Periculosa nimis haec videtur licentia, quia homines, ad iram et vindictam prони, et tali casu affectuum aestu agitati, magis spectant ea quae iure fiunt, quam quae bene fiunt. Requiritur quidem in furto diurno violento Quiritatio, sed interpretatio, an ita, ut suum in scopum inservire potuerit, sit adhibita haec auxilii imploratio, dubia adeo saepius esse potest, ut facilis foret defensio aggressi,

si,

si, qui moderamen inculpatae tutelae non observasset.

Nec illud aut aequitatem, aut lenitatem, adhibendam certe semper quatenus nunquam inutiliter saeviendum est, redolere videtur, quod Romani furtum rei minimae, infamante furti actione plexerint.

Furtum quidem semper sua natura manet crimen, aequè grave in re minore ac in maiore, verum commissi vitiositas hoc sensu magis spectare videtur forum internum, quoniam externo satis fit, si poena est adhibita, quae sufficit, ad securitatem et felicitatem societatis defendendam, quod sane fieri posse videtur, leviori coercitione, quam infamia, quae condemnatum actione furti sequitur. Nec leviter haec sententia probatur capite penultimo huius Tabulae, quo tollitur actio furti, si pactum inter partes locum habet; indicat hoc, poenam civilem cessare, si damnum a laedente sarcitum est, atque adeo non tam puniri actus vitiositatem quoad imputationem, sed potius quoad securitatem publicam, atque adeo, pro ut illa vel maiore vel minore gradu est turbata, certe poena furti graviore et magis exigui plus differre debet, quam, ut infamiam quaecunque furtum sequi, aequitati convenienter duci possit.

Tabulae III. Cap. I. eleganter indicat, quanti fides rudi

C

et.

etiam illo tempore habita fuerit: cumque notum erat, homines obaeratos facile in omnia consentire, quibus de novo accipiant, ut vitae luxuriam promoveant, et animo suo indulgeant, summa aequitate et prudentia Cap. 2. restringit et impedit avarorum cupidinem, quorum est, rebus anxii aliorum uti, ut patrimonium suum augeant: immodicas ideo vetat usuras.

Si ad libertatem Naturalem, in Societate etiam residuam, respicias, licitum est, fateor, pro quovis praetio res suas utendas dare, et accipere, verum simul atque in manifestam adeo perniciem nostram libertate illa abutimur, sit ea licentia, quam societatis felicitas admittere nequit; iure suo igitur Lex nostra huic malo cavet, et sapientiâ, quae humanae indolis notitiam prodit non exiguam, quadrupli reddendi poenam constituit, quia damnum prae dedecore metuere solent avari.

Caetera quae obaeratos spectant praeteriens, obviam mihi venit locus, in cuius explicatione desudarunt viri summi, quorum catalogus, si, a GELLIO incipiendo, usque ad nostri saeculi BACHIIUM procedas, hic enumerando longior esset. Quid horum auctoritatis ponderi debeatur, sentio, non tamen vanitatis credo accusetur, quam mihi indulgeo, licentia, meo etiam modo hunc locum explicandi.

Ver-

Verba sunt : *Act, si plures erunt rei, tertiis Nundinis partes secanto, si plus minusve secuerunt, se fraude esto, si volent, uls Tiberim peregre venundanto.*

Ita haec explicanda sentio : si vero plures sunt creditores, hi 17 die divisionem bonorum, vel operarum, vel lucri exinde comparati, debitoris instituant, quam si minus recte factam postea comperient, tamen laesus habebit quod sibi imputet, et a iudice non amplius succurretur, nec illi, qui plus accepit, lucrum suum eripietur : si satius ducant creditores licebit iis debitorem suum vendere, sed non nisi extra limites *Latii*.

Ad illustrandam simul et probandam hanc sententiam quaedam monere mihi liceat.

Per *res* ideo intelligendi hic sunt *creditores*, quia vox *res* olim mediae significationis erat, et ponebatur tam pro actore, quam pro eo, contra quem agitur : exempla restant in inscriptionibus *Titulorum Inst. et Pand. de duobus reis promittendi vel stipulandi* : iam loco nostro vocabulum sine dubio est intelligendum de actoribus, qui erant ipsi creditores, debitorem suum ad solvendum coacturi.

Tertiis Nundinis explicui 17 die : GRAVINA et BACHILUS 27 die posuerunt, verum male ut videtur, quia *tertiis*

*Nundinis non erat ter nono die, sed post ter celebratas Nundinas: Nundinae vero celebrabantur quidem quovis nono die, sed ita, ut in hunc numerum etiam veniret festum, tam proximè præcedens, quam præsens, ita, ut, si Kal. Martii Nundinae primæ celebratae fuerant, 7 ante Idus secundæ, 16 autem ante Kal. Maii tertiæ, haberentur, ut ita a priori ad sequens festum intercederent tantum 7 dies, qui numerus bis computatus, cum tribus diebus intercedentium Nundinarum, efficiunt numerum nostrum 17, non autem 27. Testem pro sententia mea habeo DIONYSIUM HALYC. Lib. 7, ubi dicit: *Nundinæ autem Romæ nono quoque die celebrabantur, ut nunc etiam. Iis Nundinis plebs agræ in Urbem confluebat, venalia permutabat, et iure inter se agebat, et suffragia ferebat de negotiis publicis, de quibus vel leges ei permitterent arbitrium, vel Senatus ad eum referret, reliquis diebus septem intermediis ruri debebat, quod maxima pars propter paupertatem operarentur suis manibus.**

Sectionem explicui de bonis, non de corpore debitoris. Dissidentes pro parte sua allegant prisci XII Tabularum temporis barbariem, quippe quando Romani, pro vivendi modo, et continuis bellis cum omnibus fere vicinis, nec humanitatem,
nec

nec lenitatem, in tantum novissent, quin acerbissimam hanc in obaeratos animadversionem iis obtinuisse, probabile videatur. Adiungunt, sanctionem hanc tantum esse additam ad deterrendos homines, ut a perdendo et dilapidando patrimonio abstererentur, et, tertio, argumentantur ex contextu in vocibus *plus minusve*, sanctionem necessario de corpore intelligi debere.

Ad primum respondeo, concedendum esse, Romanos eo tempore, quo leges XII Tabularum ferebantur, non tanta morum suavitate fuisse, quam sequenti tempore, simul tamen hic non negligere debemus, unde Lex Decemvralis originem suam duxerit.

Legum diversam indolem maximam partem ex diverso populorum, a quibus ferebantur, caractere et indole quaerendam esse, constat: quod si verum est, barbaries Romanorum spectanda non venit in lege XII Tabularum, quippe cuius capita ac fontes a Graecis, politioribus iis et mitioribus, petita erant, per legatos a Romanis missos. Qui argumentum secundum allegant, argumento praecedente contra se ipsos argumentari videntur; nam certe non est populi crudelis et rudis poenam executioni non mandandam in terrorem tantum proponere: nec praeterea fieri ita potuit, cum ulla spe fructus optati; si enim

leges feruntur a paucis, et, retentis earum rationibus tantum, tanquam iam latae promulgantur, atque ita consensu populi tacito corroboratae creduntur, locum habere posset, ut utilis esset haec fictio: in casu vero nostro, ubi longe alio modo res se habuerunt, fieri hoc non potuit; teste enim LIVIO *Hist. Libro 3. Cap. 34.* Leges XII Tabularum propositae sunt; non, ut iam latae, sed ut ferendae, et ipsi dicunt Decemviri, *se rationes et causas moventes toti populo explicituros esse, et de singulis quaerentibus responsuros*: iam patet, inutilem fuisse omnino sanctionem, quae tantum in terrorem proponeretur, quia statim toti populo innotuisset. Quod ad contextum attinet, voces: *si plus minusve secuerunt, se fraude esto*, aequè bene intelligi possunt de bonis, ac de corpore; nihil enim video quod obstaret quominus hoc commata explicaretur: si debitor, cui ex. gr. debentur 600, videt ex postfacto, se non, uti debuisset, diuidium plus accepisse, quam illum, cui debentur 300, habebit quod sibi imputet, quod in facienda divisione non melius sibi prospexerit: et ille, qui plus accepit, iure fecisse habendus erit, nec ei lucrum suum extorquetur. Posterius hoc non fit ad fraudem et acquisitionem nimiam defendendam, verum potius in favorem rei, ne iterum ad tribunal trahatur, eodem modo ut

in

in disquisitione de statu hominis, ille ingenuus habendus est, quia a iudice ingenuus declaratur; licet ex postfacto de contrario manifeste constet.

Dissentientium explicatio crudelissima esset respectu obaerati, et simul inutilis creditoribus; neminem enim eius defensionem ex aequitatis ratione suscepturum credo, quod quis damnum in patrimonio datum cum vita, maximo illo omnium quae possidemus, lueret. Quod ad creditores, hi iudicem adeunt ut damnus suum resarcitum habeant, illud igitur praecipuus debet esse iudicati scopus, sed non me videre fateor, quomodo hoc locum habere dici possit, si creditores secti corporis partem donum ferant: et hanc ob rationem, nisi summae eruditionis viros adversarios haberem, stolidam plane et insani cerebri hanc explicationem pronuntiarem.

Firmatur adhuc sectionis corporalis explicatio hoc argumento, quod in tota hac Tabula finis capitum semper ad mitiorem transeat, atque exinde per sectionem hic durius quiddam intelligendum sit, quam est venditio, quod certe nihil aliud esse possit quam sectio corporalis. Verum egregium et aptum hoc est argumentum, si exercitii vel avaritiae causa de hoc loco disputationem instituimus, minime autem tanti ponderis mihi

vi-

24 DISSERTATIO IURIDICA

videtur, ut in decidenda re ipsa quidquam facere possit.
Concedo, a mea parte rem non absolvere argumentum, quod nullum factae huius sectionis corporalis apud ullum auctorem obviam veniat exemplum, hoc enim de facto tantum probare posset, nos autem de iure quaerimus: sed tamen ad illud multum facit, ut facilius nostram explicationem admittat, quam ideo etiam praefendam sentio, quia semper poena lenior est intelligenda, ubi aequae probabilis est, ac durior saevitio.

Miror in verbis finalibus prudentiam Decemvirorum, qui sapienti sane consilio ita constituerunt, ut extra limites Latii, quod ad Tiberim finiebatur, addictus venderetur; quia nempe populus, propter duritiam creditorum, facile ad res novas per seditionem moliendas excitabatur: si iam extra Urbem fiebat venditio, venditus, qui ab emptore statim avehendus erat, nec locum nec tempus de saevitia sibi allata quaerendi habebat, neque adeo turbis seditionibusque ansam dare poterat.

Tabula IV agit de potestate Patribus Romanis in liberos concessa.

Licet ius vitae et necis, quod contra omnia iuris Naturalis principia hic patri conceditur, postea, quum iniquitas haec

ma-

manifestior evaderet, abrogatum sit, nimis severe tamen imperium parentale remansit. Licet enim liberi iure Naturae, donec educati sint, merito et recte Parentibus subesse habeantur, simul tamen illud ante oculos habendum est, liberos esse etiam homines, natos cum iure suo: concedo, legem Naturalem parentibus auctoritatem et potestatem in liberos dare, et necessarium hoc admodum est, ad ipsam liberorum salutem, verum, ne potestas illa limites ab ipsa Natura praescriptos excedat, societatis simul et liberorum felicitas commendat; si enim severe admodum regantur liberi, et, uti apud Romanos, arbitrario plane imperio subsint, accumulari potius vitia censeo, quam in rectum iter dirigi libertatem Naturalem. Talis enim iuventus, si vel matrimonio vel morte parentum, vel alio quovis modo, de iugo dimittatur et sibi soli relinquatur, facile admodum in effrenatam licentiam erumpit, et generaliter verum est, quod eleganter de filiabus scribit acutissimus Philosophus Gallus: *Depuis que tous les sentiments de la Nature sont esouffes par l'extreme inegalité, c'est de l'inique despotisme des Pexas, que viennent les vices, et les malheurs, des enfans: c'est dans des noeuds forcés et mal assortis, que victimes de l'avarice, ou de la vanité, des parens, des jeunes fem-*

D

mes

mes effacent par un desordre dont ellesfont gloire, le scandale de leur premiere bonnetete. Voulez vous donc remedier au mal, remontez a sa source. Tale nempe parentibus concedendum est imperium, quantum sufficit ut liberi ad studium boni rectique adagantur: amplius quidem quidquam non sibi sument parentes, qui ad iura naturalia liberorum coeces non habent oculos, et prolem suam regunt, quia illam amant, non autem tyrannidem exercent, quasi maiore sua potestate superbi, sunt tamen semper etiam tales, qui non tam commodum et bonum liberorum intendunt, verum illis imperant, ut auctoritatis suae excellentiam demonstrarent, et contra voluntatis suae legem ratiocinium liberorum non admittendum censent: si igitur iura horum arrogantiam non refrenent, propter reverentiam quae parentibus debetur, certe tamen ansam dare non debent, ut ambitiosi tales loco suo abutantur.

Per multa adhuc hic adiungere possem de iis quae in Tabulis his memorabilia occurrunt; de iure nempe hereditario: de repudiis: de poena mortis variis in casibus: de servitute, caeteris: verum ne longior sim haec omnia mitto, et ad implendam alteram distinctionis partem, quam supra feci, festino.

Di-

Dixi nempe, iura constituenda ad aequitatis normam esse accommodanda, tam, respectu peregrinorum, quam incolarum.

Iura civitatis, aliarumque praerogativarum, incolis in privilegium data, a iure Naturae parum divertere videri quidem possunt, sed habent tamen etiam quo defendantur; ad rem nostram accommodatius occurrit exemplum in banno delinquentium.

Si obligationes inspiciamus, quas integrae societates, tanquam personae morales, sibi debent, et simul incommoda ponderemus, quibus regiones, bannum hunc exercentes, sibi invicem afficiunt, mirandum profecto est, nec iniquitatis, nec utilitatis rationem, in tantum valuisse adhucdum, ut haec poenae species abrogaretur. Hominibus exteris aut vagabundis bannus plane non est poena, quippe qui vel nusquam, vel non in regione ex qua eiiciuntur, fixam fortunarum suarum sedem habeant, ubique patriam sibi videant, et ubique aequae bene sint. Quod si vero bannus in incolas exercetur, per necessariam consequentiam hi plerumque in egestatem detruduntur, atque adeo ex male suada paupertate facilius delinquant: magno itaque admodum periculo societas exponitur in quam confugiunt. Hoc igitur etiam casu bannus optatum poenarum scopum attingit.

gere non potest; deterioratur enim magis quam emendatur reus ipse, et securitas publica mutuo in civitatibus, turbationibus magis exponitur, quam promovetur.



P A R T I I.

Hactenus de aequitate ipsius iuris egimus: restat, ut alteram promissi partem implentes, quaedam de eius exercitio subiungamus.

Differre sentio aequitatem respectu eorum qui secundum leges Naturales, in ius Civile non redactas, viverent, ab aequitate, quae in membris societatis, iure Civili certo dirigendae, obtinet et locum habere potest; homini enim, in statu Naturae viventi, tantummodo ex aequitatis ratione ius suum oritur, cum civi attendendum sit, quid sibi a iure constituto permissum videat: in iure namque Naturae ita dirigendae sunt actiones nostrae, ut libertas earum non excedat limites, quibus felicitas nostra, coniuncta cum felicitate aliorum, circumscribitur,

at-

atque adeo simulatque comperimus, actionem nostram huic scopo inservituram, ius nobis hinc oritur eandem ad effectum perducendi. In iure autem Civili non est quaerendum quid in foro interno, et ex rectae rationis consilio liceret, et utile esset, verum, quidnam ex iure praescripto tanquam licitum, utile, et necessarium, ducendum sit. Est quidem iuris Civiles scopus, felicitatis et securitatis nostrae promotio, aequae ac iuris Naturalis, verum in posteriore nobis ipsis examinare licet, quomodo optime ad hunc scopum perveniremus, cum ius Civile semper tale intelligendum sit, ut ex eius norma actiones nostras instituentes, ad maximam nostram et aliorum felicitatem easdem dirigamus, quod nisi intelligatur, sublatum est omne iuris socialis vinculum, quoniam tolleretur ratio, quare iuri Civili nos submittimus, ut nempe eius auxilio commodius, felicius, et securius, iure et libertate nostra Naturali fruamur. Utroque igitur in casu, in foro tam externo quam interno, dici possumus iure et bene agere, sed diverso tamen principio movemur, quatenus in statu, ubi obtineret ius Naturae, ex ipsius aequitatis naturalis ratione ageremus, in iure Civili autem ex praesumenda eius cum aequitate Naturali convenientia, atque adeo ex principio quasi secundario, actiones nostras secundum eius praescripta dirigeremus.

Ve-

Verum paullo altius haec res mihi indaganda est, ut sententiam, ex fine introductionis huius opusculi colligendam, de moderamine nempe aequitatis, etiam in iuris Civilis exercitatione admittenda, veritati et utilitati consentaneam demonstrarem.

Et quidem ita sentio, ut a priori negandus mihi videatur aequitatis usus in applicandis constituti regiminis praescriptis, ex post facto autem eundem utilem et bonum non tantum, immo vero etiam summa necessitate commendatum arbitrer.

Felicissima sane talis foret societas, quae illud obtinere posset, ut talibus imperii lora concederet, qui sine lege certa, sine iure certo, semper ex aequi rectique praeepto ius aequale distribuerent, et quorum integritas notissima adeo esset et certa, ut communi omnium consensu tutum praesidium duceretur, quorsum laesus quicumque, indubitata auxilii spe, confugere posset, et unde simul nullius rei, nisi iusti aequique habitate ratione, malevolo poena instaret: atque tale fuisse credo iudiciorum initium, id quod rerum natura mihi docere videtur, et simul fide historica confirmatur. Hoc autem, licet maxime optandum sit, praesenti humanae indolis statui non convenire, quotidiana docet experientia. Patet enim, iudices eosdem,

qui

qui ex fide et integritate sua rebus dirigendis, et litibus forsan ortis dirimendis, erant praepositi, ut vox eorum vox iuris et aequitatis omnibus esset, paullatim ita in deterius abiisse, ut tandem odii, amicitiae et quorumvis affectuum ratio, magis quam boni rectique studium, sententias eorum diceret: hinc necessitas exegit, ut ad impediendam, vel saltem refrinandam eorum iniuriam, iudices ipsi vinculo quodam adstricti et alligati essent, quod sequerentur, quo intra limites suos, societati utiles habitos, retinerentur, et a cuius ductu recedere non liceret.

Ab altera vero parte dici potest, leges originarie nihil aliud esse, nisi medium auxiliarium, supplendi humani ingenii, quod non ad omnia sufficit, causa constitutum et adoptatum, atque ad eo praevalere debere iudicum sententiam, prae iure scripto, si hi illud cum aequitate Naturali minus convenienter decidere sentiant.

Verum, quoniam priorem iuris constituendi causam probabilem magis, et naturae generis humani magis convenientem duco, in partes posteriores transeundum non videtur, et statim mihi sententia, Naturam iuris constituti a priori contemplatam, non admittere moderamen aequitatis, quod attinet ad iudices
qui

qui iuri distribuendo praesunt: si tamen rem ex post facto ad lucem experientiae examinemus, longe aliter sentiendum videtur.

Rerum enim humanarum ea indoles, ea natura est, ut temporum et circumstantiarum ratio sensim paulatimque in omnibus mutationem exhibeat, exinde etiam distributio iuris, quod, ut salutis publicae inserviat, temporibus circumstantiisque accommodandum est, identidem est mutanda: nova plane et antea incognita accidunt, ad haec tamen ius antiquum est applicandum. Eleganter illud explicuerunt Proceres nostri in *Praefatione Codicis Iuris Omlandici*, anno 1550 propositi, sed, varias ob rationes non accepti, quae tota perlegi creteretur, sed verba, quae ad rem nostram faciunt, quoniam non omnibus prostat hoc *Corpus Iuris Omlandici* cum Praefatione sua, adiungam. Ita haec audiunt: *Ius, sua natura contemplatum, semper est unum idemque. Cum vero regiones et homines successu temporis saepe et varie mutantur, inde nec insolitum nec culpandum est, mutationem iuris easdem mutationes sequi. Propterea delegati Urbis Groningae et Omlandorum expresso incolarum consensu convenerunt, ut hoc ius suum pro praesenti temporis statu corrigerent et emendarent.*

Ve-

Verum quidem est, Legislatorem ipsum esse adeundum, si ius plane novum constitui, necessitas aut utilitas exigant; expeditius autem est, si fieri possit, ut ex ratione iuris iam vigentis de tali specie obveniente decidatur, et iudicibus ea concedatur facultas, ut, duce sana ratione, et simul consulto iure obtinente, a similibus ad similia concludant, et videant ad quamnam speciem casus novus pertineat.

Distinguo hanc adhibitionem aequitatis, in iure exercendo locum habentis, in aequitatem iuris applicandi, et illud interpretandi: et quidem ita, ut applicatio spectet potius casus obvenientes, et personas de quibus ius est dicendum, interpretatio autem magis animam ipsius iuris respiciat.

In applicatione iuris igitur, ut ad normam aequitatis dirigatur, spectanda veniunt duo obiecta, quinam nempe usus aequitatis sit, quod ad differentes hominum ordines, et quinam si ad casuum varias maxime circumstantias attendamus.

Obviam hic statim venit quaestio, anne respectus personarum, in iure distribuendo, locum habere possit et debeat.

Concedi hoc posse videtur, si consideremus ad scopum iuris Civilis, pro differentia eorum qui in leges cadunt, differenti modo perveniri posse, et debere, et quamdiu diverso-

E

... rum

rum ordinum homines creduntur, inaequalitas illa status socialis, certe etiam in iuris socialis distributione spectanda venit, et alio modo vir honoratus intra limites recti bonique redigi potest, quam de plebe vilissimus; hunc enim pudor, honestas, et quae iudicum auctoritati debetur reverentia, movent, dum ille saepius non nisi coactus vitia sua emendat: eodem tamen tempore illa mihi iuris natura esse videtur, ut generaliter magis animadvertat in violatam tranquillitatem et felicitatem publicam, quam in dignitatem aut ordinem superiorem vel inferiorem delinquentis. Crimen ipsum exinde, vel in iure Civili violatum ius, ex dominio aut alio quoyis fonte repetendum, praecipuum est obiectum, potius quam persona, quae non propter ordinem aut locum suum, sed ut iuri satisfiat, in ius ducitur.

Atque haec est ratio quae me movet, ut in usu aequitatis, in iuris applicatione, ita distinguam, ut hunc usum male locum obtinere sentiam in iure Civili, dum in iure Criminali illam iudici concederem licentiam, ut pro variis speciebus obvenientibus, variam dicat poenam, sequens in ea diversitate, differentem hominum conditionem, quia per eam differt eorum indoles, quae in iure Criminali maximopere est attendenda.

In

In iure enim Civili manifesta foret ex omnium consensu iudicis iniustitia, qui dignitatis cuiusdam reverentia a recto tramite avocaretur; sed omnes simul aequae consentientes me habiturum credo, respectum personarum, caute adhibitum, et quatenus homines sunt vel superioris vel inferioris conditionis, et quatenus diversae sunt indolis, boni et utilitatis fructus ferre posse uberrimos.

Poenae namque criminalis inflictio eum in scopum tendit, ut violata societatis salus vindicetur, si fieri possit, reus emendetur, et simul alii deterreantur: non tamen in omni casu illud obtineri potest, ut ad haec omnia simul perveniatur, quia ita saepius inutiliter saeviendum esset: hinc ex. gr. damni reparatio cum ignominiae nota coniuncta, sufficit in nobiliore, dum nihil operaretur in abiectae fortis hominem; ille enim, cui honos suus curae cordique est, ignominiosa et damnosa animadversio, idem, si non maius, sentit malum, quam quo abiectae magis conditionis malevolus, acerbo corporis cruciatu afficitur, deterretur ita vir honoratus, deterrentur simul ii saltem, qui eiusdem sunt conditionis, et hac ipsa deterritione pro salute civitatis emendantur.

Illa simul ex mea sententia iudici concedenda est libertas, ut ex indole hominum, qui in Criminale eius iudicium cadunt, ad

diversam poenarum speciem concludat; hic enim leniori admonitione et minori malo ad obsequium flectitur, dum ferox et indomitus magis animus metum non sentit, minas non curat, et non nisi violenter corrigi et emendari potest.

Hunc hominum esse statum, magistra experientia, novimus: eadem ergo experientia exigit, ut ita se habentibus mortalibus exercitio iuris accommodetur, et ut iudicium ea credatur esse peritia, ut totum iudicium, hoc ante oculos habentes, prudenter instituant; nulla enim lex Criminalis generaliter adeo constituere debet, quin gladium gerenti liberam relinquat facultatem, ut ad promovendam societatis felicitatem, eam vel magis vel minus severe applicet, mitiget, aut exacerbet, id quod res ipsa docet, quia diversa est hominum indoles, et quia iustitiae ministri illud attendere debent, ut homines quales sunt ad salutem publicam promovendam constringant, minime vero ita rebus suis praeesse, ut vel inutiliter saeviant, vel poenam infligant quae requisitos fructus non produceret, quantum possit plurimos.

Praeterea in iure Criminali eo maior semper est aequitatis usus, et necessitas, quo minus iure certo universali huic negotio praevideri possit, propter variantes maxime circumstantias, quae plerumque in iure Civili non tantae reperiuntur. At-

Atque ita sponte sua circumstantiarum, in casibus Criminalibus, maxima saepius differentia, me ducit ad alterum obiectum, quod in applicatione iuris, quoad aequitatem, spectandum videbatur.

Supra mentem meam, de necessitate aequitatis in iure Civili declaravi, qua in re omnes credo uno ore consentientes habeo; sola igitur iudicis integritas et peritia iuris Civiles necessarium defectum supplere debet, in varie applicando iure constituto, ad species quasvis obvenientes. Nec sola hic sufficit fides aut integritas, maxima accedere debet tam iuris constituti, quam per actus priores introducti, notitia, ex quorum inter se comparatorum, et in casibus novis et insolitis, ex aequitatis Naturalis etiam suffragio, emergit demum aequa simul et iusta decisio.

Hanc iam Iurisprudentiam non exiguo sane ingenio aut labore esse comparandam, satis indicat CICERONIS dictum, qui hac peritia ornatum Ictum, *totius civitatis oraculum* appellat.

Periculosum igitur sit, si malevolo iudici libertas talis concessa est, qua abuti potest, ut variarum circumstantiarum fictione, ius iniquum obumbret, necessaria tamen adeo est haec aequitatem adhibendi licentia, ut sine illa iniquissima quotidie

38 DISSERTATIO IURIDICA

effet iuris distributio, tam in Civilibus quam in Criminalibus; ut exemplo communi utar, Leges plerorumque populorum morte puniendum esse homicidium praescribunt, non tamen certe illa legis huius mens est, ut puniendum velint etiam eum, qui casu et inevitabili nobis fato, sine praecedentis voluntatis manifestatione, ansam mortis alterius praebet. Hic iudicis est disquirere anne casus in legem cadat, quod qui negat, et legem generalem ad omnes indistincte casus applicandam sentit, ius summum, quod summa hic esset iniuria, diceret; leges enim non puniunt factum, ubi voluntas nocendi praesumi, aut intelligi, plane non potest.

Patet hinc necessarium esse, ut iudici liceat ius, quod administrandum habet, varie ad casus varias applicandi: norma, cuius ductum index hic sequi tenetur, est ius constitutum, cum ante actis, et interdum etiam cum aequitate Naturali comparatum, quam nempe posteriorem strictius sequi debet, quando priora deficiunt.

Transeo iam ad iuris Interpretationem, secundum illum modum, quo moderamen aequitatis in iure constituto adhiberi posse, et debere videbatur.

Est ea interpretatio, explicatio mentis et animae legis.

Ne-

Necessaria adeo haec est in iure administrando, ut inter summa annumerari debeat, quorum ICtus peritus esse debet, cuius quippe scientia minime eo absolvitur, ut, tabula forensis, legum verba, et formulas actionum, memoria teneat, et in foro proferat, verum qui tunc demum scientiae suae peritus dici potest, si rationes et animam iuris perspiciat: simul in iure exercendo maximus est interpretationis usus, et summa commendatur utilitate, quippe quae dubium certum, obscurum apertum, et durum nimis, propter mutatos mores, aequum reddit, et civitatis felicitati accommodatum. Ex vicissitudine enim omnium rerum humanarum, mutatio status publici suboritur, quia mores publici sensim sensimque mutantur, atque ita fit, ut quae olim fructuosa fuerant instituta, ea fiant inutilia, aut nocere incipiant, utque novis opus sit legibus, pluribus, et contrariis.

Si rem ab initio repetamus, certo constat, interpretationem, suadente non tantum utilitate, a solo Legislatore esse petendam, verum etiam huic soli suo iure competere; quisque enim optimus est verborum suorum interpres non tantum, sed simul ille, cui competit, vel concessa est, facultas iuris dicendi, sine dubio etiam gaudet facultate, declarandi quidnam

iu-

40 DISSERTATIO IURIDICA

iure suo constitutum, quomodo id intelligi velit: si enim de interpretatione legis quaeritur, quaeritur de iure ipso, quia nuda verba nihil faciunt: ergo quia de iure ipso quaeritur, tantum a legitimo Legislatore peti potest, ut ita ius dicat, nec facultas iurisdictionem exercendi per se habet inclusam potestatem iuris interpretandi, quia iurisdicção spectat tantum iuris administrationem, non autem ius ipsum, de quo tamen in interpretatione agitur.

Nemo igitur iudex, licet summam exercent iurisdictionem, iure sibi arrogat legum obscuriorum explicationem, vel duriorum mitigationem, sed ad eum penes quem est summa maiestas, decurrendum est, tam in casu quando iudex legem non intelligit, quam, cum, propter mutatos temporum mores, hoc illudve mutandum videtur.

Aliter res se habet si speciali privilegio facultas iuris dubii interpretandi concessa est, in omni enim privilegio speciali tacet regula generalis, licet pro reliquo exinde confirmetur.

Non autem competere hanc facultatem, nisi expresse concessam, luculenter docet exemplum Curiae supremae iudicialis, quae huic regioni praestit; exercet illa nempe merum imperium, nec tamen aequitatis interpretationem sibi arrogat, in
di.

diversis Codicibus tractuum subiacentium: olim ius Westerdanum corrigebat, supplebat, et emendabat, ex speciali delatione Imperatoris, rogantibus incolis, facta 27 Maii 1545. Adhucdum in delictis in Oldampto perpetratis, cum reliquis iudicibus, gaudet facultate aggravandi, et aggratiandi, ex speciali constitutione Art. 60 iuris Oldamptini; in iis quae Oldandos spectant secus se habet, quia de eo non memoratur, apertis testimoniis hanc facultatem non competere haberi, nisi specialiter concessam.

Nimini igitur, nisi soli summo imperanti, ius interpretandi competit per se: dubium autem moveri posset, illud fieri non posse in Imperio Monarchico, quod ad leges Imperatoris defuncti: verum, quod ad ius ipsum, Imperans nunquam moritur, et, respectu iuris ab eo constituti, successor una est persona cum praedeceffore, spectandum enim solummodo venit imperium quod geritur, non autem persona quae gerit. Eodem modo respondendum esse videtur in imperio repraesentativo, per personas. Rei itaque natura et indoles docet, Legislatorem unicum etiam esse legum interpretem, uberrimo tamen fructu societatis commodo abundat utilis consuetudo, qua facultas interpretandi etiam iis concedi solet; qui iurisdictioni, saltem

maiori, praesunt; longissimae enim ambages exinde sublatae sunt, quae litium cursum alioquin tardarent, si propter quemvis casum, in ius constitutum non cadentem, ad eundem esset Legislator, et sane ei, cui creditur illa peritia et integritas, ut iurisdictioni aptus et idoneus habeatur, credi etiam potest iuris interpretatio, in casibus, quae non ius plane novum desiderant.

Fit haec interpretatio variis modis, leges nempe secum conferendo, vocabulorum propriam significationem indagando, et pluribus, de quibus latius in iure Romano agitur in *titulo Digesti de Legibus*.

Effectus interpretationis est, ut lex vel extendatur, vel restringatur, vel explicatis tantum vocabulis, sententia eadem maneat. Minus accurate forsitan dicitur, legem priorem ex interpretatione posteriore extendi, vel restringi, quia interpretatio posterior extendit vel restringit potius obiectum tantum, de quo in lege priori agebatur, vi sua, non autem vi legis praecedentis, verum usu invaluit haec distinctio, et retineri posse videtur.

Lex itaque ex interpretatione extendi dicitur, quando ex iure recentiore mens legislatoris latius est intelligenda, et plura obiecta, quae olim non comprehensa, aut similia videbantur, coniunguntur.

Re-

Restringit interpretatio, quando Legislator, ea quae statuit perspicuens, videt ea limitari debere, et declarat legem, ad certas quasdam personas, vel quaedam obiecta, esse restringendam, ita ut non tantum comprehendat, quam absque explanatione posteriore comprehendisset. Aterum memoravi interpretationis modum, quae *declarativa* dicitur, explicat haec non ius ipsum, sed verba tantum, aut antiqua illustrat, vel certam iis designat significationem, quae dubie intelligi possent.

In iure Romano interpretatio petebatur, vel ab auctore legis, vel a viris praeclara iuris prudentia notis, vel ab usu et consuetudine. Praeclaros admodum Ictos apud Romanos floruisse notum est, et egregias permutas eorum responsiones a Iustiniano collectas habemus, in Corpore iuris Romani: maxime autem, pro suo tempore, hanc laudem commaculaverunt illi, qui callida sane, et lucri abundantissima, sed ignobili, et viro honesto indigna fictione, ex verbis Legis Decemvralis: *Paterfamilias si nexum fecerit mancipiumque, sic uti lingua nuncupasset, ita ius esto*: usum formularum introduxerunt, quae in omni iudicio accurate adeo erant observanda, ut qui in iis vel verbo vitium commiserat, causa, licet iusta et bona, caderet.

Laudandus videtur mos Romanorum, quod in interpretando

44 DISSERTATIO IURIDICA

iure consuetudines consuluerint; exinde enim optime colligitur, quaeenam populi sit voluntas, et quid cum eius moribus et agendi cogitandique ratione conveniat, unde sine dubio emergit ius optimum.

Generaliter apud Romanos aequitatis, quatenus opponitur iuri stricto, administratio, Praetori commissa fuit, qui propterea dicitur *custos aequitatis*.

Non abs re fore igitur arbitor, si quaedam adhuc de iurisdictione Praetoris adiungens, huic opusculo finem imponam.

Praetoris nomine olim veniebat quicumque magistratus maior, a *praecundo*, nempe exercitui; ipsos enim Consules ita antiquitus dictos fuisse, patet ex loco CICERONIS, in *epistolis ad fam. lib. 12.*, ubi scribit: *Placuit nobis ut statim ad Cornutum, Praetorem urbis, has literas deferrem, qui, quod Consules abessant, consulare munus gerebat, more maiorum.* Latius hoc explicatur in praefationibus, Novellis 24. et 25. praefixis. Ille vero Praetor, de quo hic agimus, tanquam de moderatore iuris, erat magistratus iuri dicendo tantum creatus: Consules enim continuis bellis ab Urbe et cura iuris Civilis avocati, et externis Reipublicae periculis detenti satis erant, nec tempus aut locum habebant, ut commodo civium, aut saluti internae,
pro-

prospicere possent: hac necessitate adactus populus Romanus magistratum nostrum creavit, cui committeretur huius partis potestatis Consularis administratio, quae est in litium civium inter se decisione.

Initio unus huic operi sufficiebat, qui in Urbe tribunal suum habebat, et exinde Praetor *Urbanus* dictus est, crescente deinde hominum multitudine, crevit etiam litium numerus, et omnibus illis rite et suo tempore decidendis, unum non sufficiebat caput: additus propterea est Praetor alius, qui priori munus et occupationes suas in tantum relevaret, ut in causis peregrinorum iudex sederet, dum prior iure tantum urbanorum occupatus esset. Dicitur hic etiam Praetor *Peregrinus*, et praeterea etiam appellatione *maioris* et *minoris* inter se distinguuntur hi duo Praetores. Numerus Praetorum incertus adeo fuit, ut licet ab uno inceperit, usque ad octodecim aliquando creverit, qui simul hac dignitate honorati essent. Munus eorum maximi momenti et dignitatis habitum fuisse, vel exinde colligi potest, quod omnibus demum honoribus perfuncti, Praetura dignarentur. Non tamen habebat Praetor merum imperium, sive iurisdictionem Civilem; et potestatem Criminaliter etiam admonendae simul, sed tantummodo civilem: patet quidem ex

Lege 17. § 4 et 5. Digest. de Iniuriis, Praetorem interdum in viliores verbera decrevisse, sed ordinario ad superiorem rem remittebat Praetor, si comperiebatur, crimen eius maius esse, quam quod, ex more Romanorum poena civili coerceretur. Utrumque Praetor annuus erat, et magistratum iniens, in edicto suo proponebat, quomodo per annum regiminis sui, iurisdictionem administrare vellet. Varii Praetores varia edicta praescripserunt, nec ab anno in annum certum erat in omnibus ius Praetorium, donec SALVIUS IULIANUS, iussu Imper. HADRIANI omnia haec Praetorum *Urbanorum* edicta collegit, et ex iis unum composuit, quod perpetua Praetoribus insequentibus norma esset, secundum quam iurisdictionem suam dirigerent, et quod exinde dictum est *Edictum perpetuum*. Aetas et auctor edicti Praetorum *Provincialium* ignoratur.

Talis erat magistratus, qui ius Civile Romanum administrabat, et simul in eo moderamen aequitatis adhibebat, quatenus haec opponitur iuri stricto; ius strictum nempe, hoc sensu, non est expressa legum dispositio, verum ius per se et generaliter sequum et bonum, quod tamen propter varias personas vel causas, vel ex subtilitate iuris, iniquum fit. Hanc iurisdictionem Praetoris fuisse, colligitur ex loco CICERONIS libro 3. de lo-

g-

gibus cap. 3. et praeclare etiam demonstratur ab **ULPIANO**, in lege 7. §. 1. et lege 8. *Digest. de iustitia et iure.*

Ipsam huius iurisdictionis naturam accuratius colligere poterimus, si indagemus, quaenam Romanorum notio fuerit aequitatis, in iure Civili adhibendae.

Generaliter in iure Romano ita obtinebat, ut iudex strictae legum observationi obligaretur, uti patet ex *pr. l. de officio iudicis*, atque hoc de omnibus intelligendum est, etiam de his quae dura, et tanquam sanguine scripta videntur; crudelis admodum est lex 5. §. 1. *Cod. ad legem Iuliam* et lex 12. §. 1. *Pand. qui et a quibus manumissi liberi non fiant*: in fine tamen ipsius huius §. expresse additur, illud observandum esse, quia scriptum est: initio etiam muneris solenni iureiurando iudex ad strictam legum, morum, et consuetudinum observantiam se obligabat, eodem modo ut hodie a iudicibus nostris fieri solet. Vetita igitur erat omnis aequitas, quae neglecto iure constituto, neglectisque moribus, et iuris similitudine, ex solo iudicis arbitrio decidit, simul tamen in casibus, qui propter circumstantias suas novi erant, iudici Romano a similibus ad similia procedere licebat, et manifestam quasi legum sententiam reddere, etiam in his, quae initio lege non comprehensa videban-

bantur; vide Legem 12. *Pand. de iustitia et iure*: et simul in iis humanior aequitatis decisio, praefertur sententiae, quae forsitan ex iure stricto deduci possit, ut dicit lex 8. *Cod. de iudicibus*: quo sensu ius strictum est tale ius, quod vel ad verba legum magis attendit, quam ad earum mentem, vel quod nimis anxie ex iure constituto deductum, summum ius, summam nempe iniuriam, constitueret et dictaret.

Huic malo praecavere Praetoris erat officium, et eatenus aequitatem, iuri stricto contrariam, in felicitatem civium adhibebat: hinc novas actiones inveniebat, ubi ius strictum easdem inique denegabat: hinc omnes actiones utiles: hinc exceptiones, ubi lex actionem negabat: hinc restitutiones in integrum: hinc fictiones iuris: quae omnia iuris rigorem mitigando, et bonorum commoda promovendo, non parum ad salutem publicam contulerunt.

Utilissima sane est talis magistratus constitutio, et egregium munus ipsum: optandum profecto esset, ut in omni regimine locum haberet haec aequitatis administratio, quae in Praetore Romano occurrit, et quae illud implet, quod optimum in iudice esse sentit CICERO, dum eleganter admodum dicit: *scriptum sequi, calumniatoris est, boni iudicis, scriptoris voluntatem auctoritatemque defendere.*

T A N T U M.

T H E S E S.

I.

Obligatio, quae ex quasi-contractu oritur, non habet fundamentum suum in consensu tacito, ficto, vel praesumpto, sed in aequitate, iure Civili comprobata.

II.

De controversiis quae ex testamentis oriuntur non licet transigere, nisi inspectis, cognitisque tabulis testamenti.

III.

Perperam colligunt nonnulli ex L. 3. D. de Off. Praet. communem errorem facere ius.

IV.

Virgines non sunt personae miserabiles per se.

V.

A sententia arbitri compromissarii appellare non licet.

VI.

Imperator Romanus non fuit solutus omnibus legibus civilibus.

G

VII.

V I I.

Qui praesenti tempore ex furore suae mentis compos non est, puniri nunc non potest, propter delictum, antea, sana mente commissum.

V I I I.

Imperans maiestatem suam habet a populo, non immediate a Deo.

I X.

Matrimonium per se est societas aequalis.

X.

Hinc matri eadem quae patri competit potestas in liberos.

X I.

Mutuus coniugum consensus non sufficit ad admittendum divortium.

X I I.

Polygynaea iure Naturae non vetatur.



TER OPENTLYKE BEVORDERING
VAN DEN
WELEDELEN HEER
GERHARD JACOB KEISER,
TOT
MEESTER DER BEIDE RECHTEN.

O Gy! zoo vaak myn zang ten doel,
Zoo vaak de bron van 't zagst gevoel,
Die elke vreugd voor my bezielde;
Offchoon myn lier te zwak U prees,
Genoeg, zoo ze immer U bewees
Hoe diep ik voor uw altaar knielde.

Ik volge ook nu, wyl Gy me wenkt,
O Vriendschap! — Daar Gy alles schenkt,
En elke poging dubbel loonde,
Smaakte ik uw gunsten onverdiend,
Wen 'k niet, by 't heil van mynen VRIEND
In 't openbaar myn vreugd betoonde. —

Wel hem, die jaren agtereen,
Door arbeid moeite en zorgen heen,
Zig zelve alleen den weg bereidde:
En, daar hy moedig voorwaarts rukt,
Den grootschen lauwer waardig plukt,
Die hem by 't eind dier baan verbeidde.

Geen zugt naa eerloos goudgewin
Brengt hem ter hooge Pleitzaal in,
Of lenkte ooit na heur wit zyn gangen.
Wen 't kundig brein, met vlyt beschaafd,
Het regt der deugd manmoedig staaft
Kent hy geen ander zielsverlangen.

De list span' voor 't onschuldig hart
Een ftrik, die 't schranderst oordeel tart,
Om 't weerszel van haar kunst te ontwinden: —
Zyn scherper blik ontdekt haar spoor,
Dringt diep de digtste nevels door,
En laat zig door geen dwaallicht blinden.

Hem

Hem lacht de dankbte vreugde traan,
Gelyk de Zon deeze Aarde, aan,
Door 't midden van een milden regen.

Eens loont voor stage zorge en vlyt,
Aan 't heil der maatschappy gewyd,
Zyn deugd zig zelfs met dubblen zegen. —

Zoo schetst myn vriendschap U, myn VRIEND!
Gy hebt dien zegen wél verdiend,
En zult hem verder waardig leven.
Wen Ge eens veroudt uw tyd herdenkt,
Moog', door geen knagend leed gekrenkt,
Uw hart U dit getuig'nis geven!

Geniet de vreugd die op U wagt:
Zie eens door 't braaffte Nageslagt,
Door 't edelst Meisje uw hart vergoden.
't Geluk, dat blindt zyn gaven biedt,
En vaak den besten sterv'ling vliedt,
Zy nimmer van uw zy gevloeden!

J. VAN G. DE RAADT
I. U. Dr.

Zoo rolle uw leevtyd heen, —
Zoo bloei het waar geluk — 't genoegen voor uw treên:
Smaak aan de hand der Min heur wellust — al heur waarde,
Tot dat ge, in een volmaakter staat,
Het floorloos heil geniet — verzadigd van deez Aarde —
Dat nooit vergaat.

J. E. W. VAN GESSELER
Jur. Utr. Doctr.



AAN MYNEN VRIEND
G. J. KEISER,
BY ZYNE OPENLYKE BEVORDERING
TOT
MEESTER DER BEIDE REGTEN.

Verheugd, dat deze dag zoo schoon uw' wensch vervulde,
Dat ze U. in d' achtbren ry van Themis Priest'ren hulde,
Biedt U myn vriendenhart dees nedrige eerkrans aan!
Dat andren naar waardy uw roemryk hoofd bekronen,
Myn VRIEND! ik zoek alleen door dit gedicht te tonen,
Dat nog myn doffe lier der Vriendschaps toon kan slaan!

Geliefde GRUNO'S-Vest! Gy schonkt my ware Vrinden,
Wier omgang op myn weg my menig roos deed vinden:
Gy schonkt meêraan myn hart — een teedre Zielsvriendin! —
Hoe dikwerf dronk ik, in uw lieve — schone dreven,
Een reine, zuivre vreugd, de ware bloem van 't leven,
Een onvergald genot, — met volle teugen in!

H

Ge-

Gefcheiden van dat heil, gevoelt myn hart de waarde
Des milden zegens nog, dien Gy my ruimschoots baarde,
Nu pligt my herwaarts roept, naar myne Vaderstad,
En nooit vergeet ik U, myn dierbre Lotgenoten,
Die in denzelfden kring de Vriendſchap hield befloten,
Met wien ik 't eigen doel, — dezelfde loopbaan had. —

Zie nu 't erkentlyk vuur met dublen aandrift gloeijen,
Nu 'k op uw' levensweg een nieuwe roos zie bloeijen:
Een roos, myn KEISER! door uw zelve voortgeleeld —
'k Heb nooit myn hart voor U in vreugd of leed gefloten;
'k Heb ſmart met U gedeeld, 'k heb heil met U genoten,
En denk nu, dierbre VRIEND! hoe my uw voorpoed ſtreelt!

't Gaat vast, Verdienſte alleen maakt ons ene eerkroon waardig!
Een ander drage een kroon, hy draagt die onrechtvaardig;
— Verdienſte alleen zet haar den waren luifter by!
Wie ziet met beter regt, dan Gy, zyn hoofd verſieren
Met de eeuwige eerkroon van bloeijende Lauwrieren?...
Wie ſchenkt den Lauwer zelfs meer grootheid, — meer waardy?..

Gy

Gy hebt met vlyt, — met roem de baan der eer betreden,
Uw Lente toegewyd aan nutte kundigheden,

En nog met groter roem siert gy op 't einde uw baan:
Zoo treed gy rustig voort, naar hoger, eedler kringen,
Om méer naar nieuwen lof, naar grootscher eer te dingen,
Die daar ten doel van vlyt, van 't schrandere oordeel staan. —

Dees dag moge U een reeks van blyde dagen baren:
Uw welgeplaatste Min schenke in een aantal jaren

Een Leefpad! waarde VRIEND! dat louter rozen teelt;
De Vriendschap zy uw heil, de Godsdienst zy uw zegen,
En uit die zuivre bron strome U een wellust tegen,
Die slechts 't rechtchapen hart — de ware braafheid streekt!

ZWOLLE.

Z. T Y L
I. U. Dr.



V E R S
A MON AMI
GERARD JACQUES KEISER,
LORSQU' IL RECUT SES GRADES.

*Si Pallas, cher AMI! de vos soins est contente —
Si Themis, en ce jour, veut bien vous couronner —
Si l'Amour vous convie, et vous donne une Amante —
Si l'Amitié triomphe, et sçait vous regretter —*

*Pourrois-je être insensible a tous ces avantages? ...
Etre de vos Amis, et non pas vous chanter? ...
Non! — Peur, brise tes traits, renonce a tes suffrages!
Car l'Amitie prononce, et va te condamner!*

*Mais toi, ma foible Muse! apres un tel langage
Qu'allez vous devenir, — qu'allez vous commencer? ..
Pensez a votre Object — pensez a votre hommage;
Il n'est un ton si haut, trop haut pour le donner!*

Au-

*Aujourd'hui, Cher KEISER! Pallas va vous commettre
La garde de ses loix, du Monde le soutien:
Tout GRONINGUE applaudit, et veut bien se soumettre
A l'Interpretation, confiée a vos soins!*

*Themis, qui vous vanta en vous donnant sa Palme,
Themis, qui ne sourit qu'a la simple vertu —
Themis, qui fait goûter du merite le calme,
Themis veut vous cherir et vous prend pour Elu!*

*Acceptez donc ces Dons, ces Prix qu'on vous presente;
Vos Ecrits, vos Talents vous les font meriter!
Venus, emule alors, vous a offri l'Amante,
Qui sur tous vos Amis vous fera triompher!*

Par
C. H. J. PIELAT VAN BULDEREN
I. U. Cand.
SCHIEDAMO BATAVUS.



V I R O N O B I L I S S I M O
G. J. K E I S E R,
LAUREA DOCTORALI CORONATO

Blanditiis ornent alii sua carmina Vates,
Et capiti indigno festa decora ferant,
Nobiliore tamen stimulo mea Musa movetur
Publica laetitiae figere signa Tibi!
Me vocat ad calamum tua laus, tua Gloria, virtus:
Me vocat ad citharam fixa senexque fides.

* * *

Tolle, GRONINGA! caput, longo de tempore multis
Magnis, excellens Iuris ab arte Viris!
En iterum rutilans Iuveni sol furgit honoris,
Et dignum decorat festa corona caput.
KEISERI inprimis tibi fiat celebratior ortus,
Hic magni coetus gloria prima tui!
Nobilis Hic, sacro doctrinae ductus amore,
Ingenii docilis prospera signa dedit!
Doctorum chartas pervolvens nocte dieque,
Ex illo traxit dulcia mella thymo.

Tem-

Temporis antiqui mysteria fodit ab antris
Et Latium quidquid, Graecia quidquid habet.
Speratos fructus duros proferre labores,
Effectu ardorem neve carere, probat.
Nunc honor eximius studium compensat alacre
Palma triumphantis cingit odora comas
Scilicet haec haerent doctae redimicula fronti,
Iuridicae restant firmata longa togae.
Hic novus ingreditur Themidis delubra sacerdos,
Iustitiaeque locat dukia thura focus.
Legibus hic prodest: aequum seiungit iniquo:
Huius ab auspiciis integra iura manent.
Ille fori fiet columen sublime, clientum
Praesidium, afflictis portus et ara, salus.

* * *

Haec, KEISERE! Tibi fulgentia sidera lucent,
Haec te virtutis praemia larga manent.
Hisque tibi iunxit raras Dea Cypria dotes,
Amplificat fortem SYLVIA grata tuam
Haec tibi, sudoris longinqui dulce levamen,
Ulnis incluso, basia mille dabit.

Ho:

Huius nunc poteris laetus recubare papillis :
 Omnia nunc in te munera fundet Amor!
Fatidicus vultu ridet tibi Phoebus amico,
 Buceinat et laudes nuncia Fama tuas.
AEmula te merito celebrat studiosa Iuventus,
 Gratantum refonat GRUNIA tota fonis.
Laetiamque meam geminatis plausibus edo
 Permeat infolitus viscera nostra calor ;
Nam, crescente tua, crescunt mea gaudia, forte,
 Integra dum iunxit pectora nostra fides.
Ah! ego, pro merito, celebrarem carmine festum?...
 Succumbit laudi nostra Camoena tuae!
Ast aveo veteri curas lenire LYAEO,
 Cumque sodalitis laetior esse meo.
Pocula plena tuae gaudens libabo saluti,
 Vota bibensque dabo pectoris ima mei.
Ut longae ducant vitae tibi fila Sorores;
 Ut tribuant Domui non nisi laeta tuae:
Ut tandem, tenues cum sis abiturus in auras,
 Gloria perpetua stet tibi clara die!

R. H. KONING,
L. U. St.

V I R O O R N A T I S S I M O

G. J. K E I S E R,

CUM THEMIDI SOLENNITER SACRA FACERET.

Nunc Tibi, CARE! dies laetissima, quae fuit unquam
Orta: tibi qua dat ferta gerenda Themis.
Splendida iam recipis certamina fortis inire
Quae duri minime Martis, at artis erunt.
Mollia fuscari per inertes otia somnos
Vis animi ardentis non generosa tulit.
Voluisti crebro spatiosa volumina Iuris:
Ex quo fonte fluit gloria magna tibi,
Gratulor ex animo famae crescentis honores,
Praemiaque assiduo digna labore tuo!
Sic meritis constare suam laudemque decusque,
Discimus exemplo, docte IACOBE! tuo.
Perge, bonis avibus, primos proferre labores,
Praevortens alios sedulitate nova.
O Ita perge sacris Musarum adflescere castris,
Sic venient capiti laurea ferta tuo.
Tu quoque secteris Maiorum facta tuorum;
Exemploque tuus sit PATER ipse Tibi.
Tempus erit posthac, Patria quo celsus in Urbe
Fulgebis titulis, Pallade dante, tua.
Sic inter claros legum celebrabere Mystas,
Sic tua post cineres fama superstes erit.

C. KEISER
L. H. Stud.

I

PRAESTANTISSIMO DOCTISSIMOQUE IUVENI,
GERHARDO IACOBO KEISER,
SUPREMOS IN UTROQUE IURE HONORES
PUBLICE ADEUNTI.

En iterum Specimen, virtuti praemia semper,
Et quod stent meritis munera cuique suis.
En tibi, KEISER! enim, virtutis et artis amator,
Quot bona iam referas respice, quodque decus.
Sacra decora facis, dignoque ornatus honore,
Publica fers Themidi thurea dona Deae.
Ista trophaea decent, haec tanti pompa triumphi,
Victorique decent laurea ferta tibi.
Et merito; qui semper eras laus summa Palaestrae,
Atque decus Iuvenum, spes Generisque tui.
Inde Themis sacram, meritorum praemia, laurum
Iusta dat, hinc plausum prodit Apollo suum:
Dum tibi pro tantis studiis Diploma SENATUS
Decernit, titulo condecoratque gravi.
Haec pariunt mores, haec docti pectoris artes,
Haec labor assiduus, iudiciumque sagax.

Sic

VERTALING.

Zie daar een nieuw bewys dat steeds de Deugd zich loont;
Dat zich Verdienste steeds met eigen lauwren kroont!
Zie, KEISER! welk een heil uw Leerlust U wil geven:
Voel welk een vreugde en eer uw deugd in 't hart doet leven:
Gy brengt uw werk ten toets, en keert met blinkende eer,
Verwinnaar uit den stryd der strenge Themis weer!
U voegt die zegepraal, die lof der blyde scharen!
VERWINNAAR! 't voegt aan U om lauwren in te garen!
't Voegt U, die ons ATHÉEN, door voorbeeld, luister bragt,
De fier waart van zyn Jeugd, de hoop van uw Geslagt!
Dus ziet gy Themis kroon op uwe schedel blinken!
En hoort Apollo's lier voor uwen lofzang klinken!
Daar 't grootsch Getuigschrift U ter nieuwe waardigheid,
Door 't eensgezind besluit der HOGESCHOOL-RAAD' weilt!
Dit baren U uw vlyt, en uwe heufche zeden!
Dit baart U 't brein, gefcherpt aan eedle kundigheden!

Dit

Sic prodest, longas hiemali tempore noctes,
Et totos studiis constituisse dies.
Gaudia sic semper post taedia, postque labores,
Et venient operum foenora mille Tibi.
Sic pergas, viridi dum vernas flore iuventae,
Tu, vegeto iuvenis corpore, mente senex!
Unica laetorum soboles et cara Parentum,
Cui studiis tempus fallere cura fuit;
A tenero ingenuas didicisse fideliter artes,
Et cui, virtutis carpere, cura, viam!
Haud aliter Te semper Avī praeiēre colendī,
De Studiis meriti, de Patriaque bene.
Usque premas igitur vestigia docta Priorum,
Conspicuos referas moribus, arte, Viros.
Sed bene jam sequeris passus, GENEROSE! paternos;
Sic Patrem, Patruos, sic imiteris Avos.
Quin nunquam timidus aquilae genere columbas,
Nascuntur fortes fortibus, atque bonis.
Gratulor interea Tibi, quem Themis aequa coronat,
Cingit odoratis dum caput alma rosis.
Nunc choreae cantusque vigent, nunc concita plaudit
AHA, tuas laudes iam pater HUNSUS agit.

Ser-

Dit is U 't roemryk loon voor menig Winter nacht,
Voor menig Zomer dag, die gy der oef'ning bragt!
Zo zult gy onverpoosd U, na verdriet en slaven,
Beloond zien met een winst van duble wellust gaven!
Volhard dus, Gy, myn VRIEND! die jong in Levenstyd,
Maar in beschaafd Verstand, een rype Grysaart zyt!
Volhard dus, enigst KROOST der tederste Echtgenoten!
Gy, die uw grootste vreugd in lering zaagt besloten,
Toenge U van kindsbeen af op 't pad der Deugd begaaft,
En yvrig Wysheid zocht die ons verstand beschaaft!
Daarheen zaagtge U het spoor van achtbre VAADREN leiden;
Die NEERLANDS heil hun zorg, hun vlyt der Wysheid weiden!
Betoon U dan den Zoon van zulk een Voorgeslagt,
De Loot van enen Stam door kunde en deugd geacht!
Reeds toont Gy dat zyn bloed zyn adel U deed erven,
Dat VADER, STAMHOOFD, OOMS, niet in hun' Naneef sterven!
Maar nooit broeit d' Aadlaar ook een schichtig duifjen uit,
En altyd is 't iets groots dat uit iets groots ontspruit!
'k Begroet U midlerwyl, U, die van schone rozen
De geurige eerkrans draagt, door Themis zelfs gekozen!
Nu voert men spel en zang U vrolyk te gemoet,
Terwyl U HUNZE en AA met blyde lofspraak groet!

U

Serta, tui memores, redolentia neçtere gaudent
Nunc variis Iuvenes floribus, apta comis.
GRUNICA iam merito Te Pallas iactat alumnum,
Te celebrans tollit nomen in astra tuum.
Vive tuae Patriae, columeñ fulcrumque BATAVIS
Utile, sis Genti gloria clara tuae.
Succurras miseris, tueäre parentibus orbos,
Sis viduis coniux, fautor, AMICE! probis.
Cuique suum tribuas, bene vivas, laede nec ullum,
Te decorent Virtus, Gloria, Pallas, Amor.
Sic, licet hinc cano demum decesseris aevo,
Vivet fama, tuus saecula vincet honos.
Omnia fausta precor! Si quid mea vota valebunt,
Nulla tuos turbent fata maligna dies,
Comprobet et SUMMUM semper conamina NUMEN,
Mella fluant thalamo, fellaque nulla tuo,
Et peragas dulcem Coniux cum Coniuge vitam,
Vestraque sit blandä prole beata Domus.
Sic Priami Tu, dante DEO, pertinge senectam,
Et ferus subeas atria summa Poli.
Haec mea vota, preces, sincero corde reposta,
Signa voluntatis qualiacunque meae.

W. DE RAADT. L. H. S.

U vlegt uw Vriendenschaar, met wellust en genoegen,
De bloemkranfen t'zaam, die op uw schedel voegen!
En Pallas, die haar school in GRUNO's vesten heeft,
Verheft den Kwekeling die zoo veel eer haar geeft!
Leef voor uw Vaderland, help BATO's luister schragen,
En wees de grootſche roem van uw verheugde Magen!
D'Ellending wees een hulp, den Wees een vaderhand,
Den Weduwen een man, der Braven onderſtand!
Leef eerzaam, hoon geen mensch, en geef een ieder 't zyne!
Dat Wysheid, Roem, en Deugd, en Liefde, uw pad beſchryne!
Zo blyft, ofſchoon uw dood in hoge grysheid zy,
Een langer — eeuwige eer, uw nagedachtmis by!
Wat heil is, kome op U! Ziet gy myn wensch vervullen,
Zo zal geen wolk van leed uw heilzon ooit omhullen!
Zo weert de GODHEID, voor een onvergald geluk,
Van uwe roos van heil de distelen van druk!
Zo wordt U in 't verſchiet de zaligſte Echt gegeven,
Zo doet uw ZIELSVRIENDIN uw' Stamboom ſchoon herleven!
Zo wordt uw jaarenkring der Menſchen ruimſte kring,
Zo weit een zagte dood uw ziel ten Hemeling!

Dus legt myn zucht en bée 't oprecht gemoed U open,
Daar 't U de wenschen toont die me uw geluk doen hopen!

Uit KUNSTLIEFDE.



